PRÆLUSTRI ET VERE NOBILI DOMINO

D. ALEXANDRO MORAVIÆ Comiti

Domino de Doun & Abernethie,

Ennerneſſiæ Vice-Comiti Integerrimo, Auguſtiſsimi Britanniarum, &c. Monarchæ Conſiliario intimo, Mæcenati ſuo plurimum honorando,

Theſes & Problemata Philoſophica, ex dictatis quadrimi laboris notis, raptiſſime excerpta; quæ *P. N.* in *Auditorio Publico* ſub præſidio *GUL. PATERSON*, *Auguſti* 5. horis ſolitis eventilanda proponunt *Magiſterij Candidati* Univerſitatis *JACOBI REGIS Edinburgenæ* Alumni. *D. D. C. 2.*

Poſitiones haſce & Problemata (propitio Numine) propugnabunt generoſi hi Adoleſcentes.

JOANNES BRUCE.	*Daniel Black.*	*Gulielmus Johnſton.*	*Jacobus Young.*	*Joannes Greinock.*	*Joannes Steil.*	*Robertus Campbel.*
Adamus Frier.	*Franciſcus Bailzie.*	*Gulielmus Rue.*	*Joannes Bower.*	*Joannes Halyburton.*	*Joannes Stuart.*	*Robertus Hamilton.*
Alexander Chanceler.	*Gavinus Weir.*	*Jacobus Hamilton.*	*Joannes Callender.*	*Joannes M^cghie.*	*Joannes Thomſon.*	*Robertus Hay.*
Alexander Trotter.	*Georgius Campbel.*	*Jacobus Hay.*	*Joannes Craig.*	*Joannes Martin.*	*Joannes Trotter.*	*Robertus Sommervel.*
Andreas Ewart.	*Georgius Monteith.*	*Jacobus Kinneir.*	*Joannes Falconer.*	*Joannes Purves.*	*Joannes Turner.*	*Samuel Ancrum.*
Carolus Stuart.	*Georgius Todd.*	*Jacobus Maxwel.*	*Joannes Finlaſon.*	*Joannes Ramſay*, major.	*Joannes Wilſon.*	*Thomas Douglas.*
Carolus Wilſon.	*Georgius Trotter.*	*Jacobus Newlands.*	*Joannes Forreſter.*	*Joannes Ramſay*, minor.	*Patricius Hepburn.*	*Thomas Moſman.*
David Lyon.	*Gualterus Burnet.*	*Jacobus Noble.*	*Joannes French.*	*Joannes Seaton.*	*Richardus Hyſlop.*	*Thomas Thomſon.*
Duncanus Williſon.	*Gulielmus Bruce.*					

Sexaginta vel circiter reliqui per integrum quadriennium in hac eadem claſſe alumni, cum non interfuturi ſint commitiis hiſce laureatis publicis, hic non commemorantur.

I. PHILOSOPHIÆ nomen comprehenſivum admodum eſt, Cum univerſam Rem literariam & Scientiarum & artium liberalium omnium ἐγκυκλοπαιδειαν ſignificet. Eſt enim *ſcrutinium in univerſam rerum compagem*; vel *conatus univerſalis naturæ contemplativus.* Eleganter à Pythagora Philoſophorum primo (Referente Magno Gaſſendo, Philoſophorum hoc ſæculo facile principe) Philoſophia (inquit) eſt *Amor, Studium, & exercitatio ſapientiæ: Sapientia autem nihil aliud eſt quam diſpoſitio animi ad recte ſentiendum de rebus, & Rectè agendum in vita.* Animus vero ad recte ſentiendum tum diſponitur cum in eo aſſueſcit ut veritatem amet, requirat ubivis ſit exoſculetur. Ad rectè vero agendum cum in eo eſt, ut honeſtatem diligat, ſectetur, nihil ipſi non poſthabeat. Quare & Philoſophia nihil aliud erit quam *proſecutio veritatis, quam quo propius aſſequimur, eo rectius de rebus ſentimus.* Ac nihil etiam aliud quam proſecutio honeſtatis quâ quo magis imbuimur eo rectius agimus in vita.

Ex hoc interim eſſe duæ Philoſophiæ partes videntur, Quarum altera circa *veritatem*, Circa honeſtatem altera occupetur; Hæc vero *Philoſophia Moralis*, illa vero *Naturalis* communiter dicitur: Atque ex utraq; hac Philoſophia conſurgit conſummata ſapientia, ſeu quæ in ore omnium eſt *Virtus*; Summa nempe animi perfectio, quâ duæ ejus facultates *Intellectus & Voluntas* ita eleganter exercentur, ut Intellectus ad Veritatem ſemper collimet. *Voluntas* vero ad *honeſtatem* tramite indeflexo tendat.

II. Philoſophia ſive rationis exercitatio vitam beatam parat, quare neq; debet juvenis Philoſophandi moram trahere, neq; ſenex ullatenus Philoſophando defatigari: Quippe ad habendum ſanam mentem nemo immaturus aut vietus eſt; Et qui prætexit Philoſophandi tempus aut nondum adeſſe aut jam præteriiſſe, non ſecus facit ac is qui dicit bene beatèq; vivendi tempus aut nondum adeſſe aut eſſe elapſum.

III. De Mundi hujus origine Philoſophi veteres quidam turpiter errarunt, *Ariſtoteles, Aver. Cicer. Zenopha.* &c. Illum æternum omnis initij expertem pronunciârunt, nam cum comprehendere non poterint utrum, *Ova* an *Aves* primus generatæ ſunt, ut facetè obſervat Cenſ. cum & *Ovum* ſine *Ave*, & *Avis* ſine *Ovo* generari non poſſit; hinc arbitrati ſunt mundum hunc, & univerſum hoc rerum ſyſtema perpetua & in-interrupta propagatione ab æterno fuiſſe.

Solidius tamen & ſolertius Epicurus, *nec æternus* (inquit) *eſt hic mundus, nec vetuſtus*, cum nuſquam floreant magnæ Antiquitatis multo minus Æternitatis monumenta, quod conſpicuum apparet in artibus nobiliſſimis quæ nuperæ duntaxat ſunt originis.

IV. Ridiculo conamine hodierni noſtri *Materialiſtæ* omnia naturæ phœnomina per *Materiam* & *Motum*, myſtica equidem technologemata! reſolvere conantur; Niſi cœcis materiæ motibus moderetur Principium aliquod intelligens, quod nos nomine *Spiritus* indigitamus: Multò enim facilius eſt intellectu quomodo Spiritus (*i. e.*) *ſubſtantia penetrabilis* moveat rem corpoream ſive impenetrabilem, quam quomodo nuda & cœca materia quantumcunque agitata, cogitationis vel ſenſationis capax eſſe poſſit: Senſationes omnes impreſſionibus corporeis commodè ſatis peragi oſtendit Philoſophia Gallica, ſed multò facilius in brutis quam in hominibus, Nam & huic veritati *Reſonabilis adſonat Echo.* Quod tamen motus ſemel productus nunquam pereat ut docet hæc Philoſophia non videmus; Nam quare eſt quæſumus quod *Quies* non tam bene ſeſe inſinuet corpori moventi ac è contra? Niſi forſan *Quies* res adeo Pigra videatur (ſi res dici poſſit, cum potius privatio ſit) ut eam prorſus tædeat itineris.

V. Ridiculam planè reddidere notionem *Spiritus* Scholæ veteres *Definitivam* (ut loquuntur) ipſi ubicationem proponentes. Quod ſcilicet *Spiritus ſit totus in toto & totus etiam in ſingulis loci partibus*: incidit in ſcyllam *Carteſius* & intricatiorem longè Rei Spiritualis ſive *Cogitantis*, ideam fecit nullam plane ipſi ubicationem largiendo. *Nam quod nullibi eſt, nihil eſt*: verentur plurimi ne lateat anguis in herba: Neque ſufficit quod replicat *Carteſius ubicationem* ſive *eſſe in loco*, eſſe proprietatem Rebus tantum Corporeis competentem. Nam concipi nequit rem eſſe, & tamen nullibi eſſe: Verum ad hominem: Eſtne res cogitans in conario, in glandula iſta pineali ex ipſo *Carteſio*? Eſtne anima in corpore ſive res cogitans in re extenſa? indiditne Spiritus primævum materiæ motum ex *Carteſio*? Vel *Ergo* fuerit in materia immediatione *Virtutis* vel *Suppoſiti* (ut loquuntur Scholæ) cum nihil agat in diſtans, &c. Si primum; daretur accidens reale ſeparabile, ad hominem contra *Carteſium*, imo contra rationem & ſimpliciſſimam ſpiritûs increati naturam. Si Secundum; jam erit ſpiritus tam propriè in loco ac ulla materiæ particula; cum ſit in materia adeòq; in loco ſeu ſpatio hæc quippe apud *Carteſium* ſunt idem planè formaliter, & in definitione; *Res* ſc. *Extenſa*: pio nonne conamine *Carteſius* homo Catholicus *materia eſt ubiq;* (Indefinita quippe ejus mundi extenſio, hunc vel nullum planè habebit ſenſum) Immenſum tamen numen (horreſco referens) eſſe *nullibi.* Nam qui negat Deum eſſe *ubique*, negat Deum eſſe *ſimpliciter*; prout qui negat Deum exiſtere negat Deum vel poſſe exiſtere. Atheiſta *Ergo* neceſſitabitur ad probandum illud eſſe ſimpliciter impoſſibile, quod tamen neceſſario exiſtit; tam durum eſt contra ſtimulos recalcitrare.

VI. Miramur equidem infauſtos quoſdam ſciolos ex intricata *Rei Spiritualis* idea in execratam iſtam Atheiſmi prolapſos eſſe ſtultitiam. Majore equidem difficultate laborat imaginatio humana in difficultatibus de ipſius materiæ natura & proprietatibus enodandis; ſuntne Scholarum ineptiæ de *punctis Mathematicis, Phyſicis*, ſive *inflatis, de partibus Aliquotis, Aliquantes & Proportionalibus in infinitum diviſibilibus*, & implicatoria iſtiuſmodi ænigmata, Philoſophorum opprobria, rationis & imaginationis cruciatus; non obſtantibus ridiculis iſtis *Thomæ Bonarte* & aliorum notionibus, de Extenſo ſine partibus, de Longo quo nihil brevius, de Extenſo quod non eſt Inextenſo majus, &c.

Imo quomodo *partes peripateticæ*, Globuli *Carteſ.* & Atomi Epicuro-democriti inter ſe cohæreant, vel uniantur, myſterium eſt vel ipſis *Naturæ* myſtis inconceptibile; Particulæ *Ramuloſæ, Hamulatæ, unciatæ*, &c. Non tenent nec tenacitatis phœnomenon explicare valent, cum hæ particulæ ex aliis particulis minoribus compaginentur & ſic neceſſe eſt ut hamulentur in infinitum; Indiviſibilia quippe materiæ non admittit *Carteſius.* Particularum *Quies* in hoc phœnomeno explicando omnino quieſcit, *Immediatus contactus* rem non acu tangit, faceſcat *Ergo* illa, inepta Atheorum argumentandi formula. Quod ſcil. *Illud non poſſit dari in natura rerum, cujus idea, ſive notio ſit difficultatibus intricata.*

VII. Variæ commemorantur in Scholis Philoſophiæ hypotheſes: *Jeſuitæ*, & Philoſophi Romanenſes communiter ferme verba jurant, nec mirum ſanè, cum Theologia Jeſuitica nihil aliud ſit quam *Peripateciſmi farrago*; & otioſorum technologematûm nihil rerum ſignificantium inutilis colluvies; Imo quod magis eſt, coguntur Pontificii Romanenſes Peripati ſyſtema tanquam indubitatum Oraculum ſacrum retinere; Quod niſi obtineat corruet idolum iſtud Altaris, & conſequenter Religio Romana, ſiquidèm ſi non admittenda ſint Accidentia quæ ſunt diſtinctæ Entitates à *Materiæ* modificationibus nulla erit Tranſubſtantiatio in myſterio Euchariſtiæ, adeoq; erunt Romanenſes omnium idololatrarum longè abjectiſſimi. Videant *Ergo* quam incerta ſit iſta Religio quæ à tam incerto dependet Philoſophemate, quod niſi unum *Peripatum* (reclamante univerſo Philoſophorum choro) patronum habeat.

Claubergius Rhabolt: Baptiſta Du Hamel. Regius, & ſæculi hujus pleriq; Academiarum profeſſores novitatis forſ pruritu laborantes, *Carteſianam* ſuſpiciunt hypotheſin. Magnus *Gaſſendus*, & nobilis *Boyl* (ut innumeros minoris n ræ ſileam) *Atomicam*, Literatus *Morus* & Eruditiſſ. *Cudworth Platonicam*, *Robertus Fludds* Medicus Cabaliſtica quàda vanitate, *Moſaicam*; proponentes hypotheſin: ſinguli quædam, *Omnes tamen non explicant omnia naturæ Phœnomena*: Qui quid enim *Carteſius* per *Globulos trium ſuorum elementorum* (quæ precario, & abſq: ulla ratione, literato orbi imponit) *particulas* ſuas *ſtriatas, Teretes, Fibroſas, Ruderoſas, Ramoſas, Cubicas, Conicas, Sphæricas, Tetra-edras, Dodica-edras, Icoſ-edra* cæteraq; vana Chimærarum nomina. Idem ferme *Epicurus, Democritus*, &c. Per *Atomos, Effluvia, Subſtantiæ Effluxus, Eſſentiales modificationes*, &c. Idem *Ariſtoteles* per *formas ſuas ſubſtantiales, Qualitates*, & *Accidentia* & Idem *Plato* per ſuos *Archæos* ſive ſeminales, formas, & *Facultatem Plaſticam*: Idem deniq; *Cabaliſtæ*, per *Lucem* & *Tenebras, Aſtrales & Boreales Spiritus.* Idem enim videntur omnes, quoad *Materiam*, & *Subſtantiam* (diſcrepantibus cet admodum verborum phraſiologiis, & technologematis) Philoſophico orbi proponere.

VIII. Nobilior longè Philoſophiæ ſpecies eſt Æthica ſeu Philoſophia *practica* hæc enim eſt *quæ emollit mores, nec ſinit eſſe feros.* Philoſophus enim verè *Moralis* eſt; qui heroicum illud Boerhij mandatum in praxin redigit; *Gaudia Pelle timorem*, &c. Paradoxum enim non eſt hominem magis pronum eſſe ad Virtutem quam ad Vitium, Cum Naturæ Humanæ nihil magis congruum ſit quam *Virtus*, ſive Honeſtas. Nullus *Ergo* ſceleſius eſt qui non eſt immemor ſuæ ſortis. Hinc *Ergo* reprehendendi ſunt ſæculi hujus Athei, qui unâ cum Sacra Religione univerſam Moralitatem & ſocietatem civilem convellere nituntur; Qui nihil eſſe in ſe *Honeſtum vel Inhoneſtum, Juſtum vel Injuſtum, Bonum vel malum* docent, Sed Actus omnes *Bonitatem* ſuam, vel *Turpitudinem*, ab extrinſeco præcepto commutuare; Sic enim terrima vitia, ipſius Naturæ rerum deſtructiva, tanquam nobiliſſima officia, & humanæ naturæ ornamenta mandari poterint. O horrida rerum Cataſtrophe! In hujus abſurdi dogmatis patrocinio pari progrediuntur paſſu *Rhetor fortis*, & *Hobbeſius*: *Arcades equidem ambo & cantare pares & reſpondere parati*: Neſcimus enim utrum hujus *LEVIATHAN*, ai iſtius *LEX-REX*, magis malignum & fatalem habuerit in res noſtras influxum. *Prima Regula Morum, Ergo*, eſt *Natura Rationalis*: Ita omnes ſobrij. Nihil aliud enim eſt *Lex Naturæ*, niſi *Notitia eorum quæ recta & bona ſunt*; & etiam *eorum quæ ſecûs*: Sic enim eandem definit Eruditiſſ. *Grotius*: Eſt (inquit) *Dictamen Rectæ Rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia, aut diſconvenientia, cum ipſa natura Rationali ineſſe Moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem*: Adeoq; hæc *Naturæ Lex* nullis ambagibus eſt implicata ſed ſolidiſſimis regulis *Æqui ac Boni* ſuffulta; Rudibus pariter ac doctis patent ipſius principia & præcepta: Cujuſmodi ſunt: *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. Suum cuiq; tribuendum eſt. Bonum eſt amplectendum, Malum fugiendum*, &c.

IX. Nude Logomachica eſt controverſia, inter *Peripateticos* & *Stoicos* de Juſta notione *veræ ſapientiæ*, num ſcilicet In conſummato Philoſopho, admittenda ſit, aut requiratur *Paſſionum exſtirpatio*; an vero *Earundem moderatio*; ſiquidem ſi Paſſio ſumatur pro immoderato animi affectu; tunc non minus quam Stoica ἀπαθεια in germano Philoſopho eſt neceſſaria.

X. Dari in homine *Subſtantiam Spiritualem, Immateriale Principium* adeoq; & *Immortale*, agnovere pleriq; Philoſophi veteres ante tempora Beati *Moſeos*. Nos enim eâdem evidentiâ convicti ſumus de Reali Exiſtentia *animæ Immaterialis*, ac *Corporis noſtri Materialis*: Verum nondum nobis probaſſe videtur *Carteſius*, contra *Gaſſendum*; Dari poſſe in hac vita, *Puram* Intellectionem abſq; Commiſtione *Cum*, & dependentia *à Phantaſmatis*, tam verum eſt illud. *Nihil eſt in intellectu quod non prius fuerit in ſenſu.*

XI. Animæ *Immaterialitatem* nihil magis convincit, quam ipſius *Libertas*, ſive principium ſui ipſius *Determinativum*; Et hinc eſt quod *Hobbeſius* libertatem omnimodam, è natura rerum ſublatam iri vult: Et conformiter ad ſua principia. Nam *ubi nullus Spiritus ibi nulla libertas.* Hoc ſuper themate acutiſsimè *Hobbeſium* redarguit *Reverendiſſ.* & *Illuſtriſſ.* jam vero *Beatus*: D. *Brambill Archiepiſcopus Armaghanus, totius* Hiberniæ *Primas*; Eccleſiæ Reformatæ, & ſpeciatim *Hiberniæ* Ornamentum. Nobis enim humanæ animæ libertas non minus ipſi *Eſſentialis*, quam ipſius *Rationalitas* videtur. Verum in quo conſiſtat hæc *Libertas humanæ naturæ.* Vel quæ ſit juſta ipſius *idea* indeterminata eſt inter *Theologos* & *Philoſophos*, controverſia; Nos enim *Spontaneitatem cum Ratione & Deliberatione, ad Liberum Humanæ Mentis arbitrium* ſufficere in diatriba, propugnare non renuemus.

PROBLEMATA.

1. *NUM* Logica *ſit* Ars Cogitandi; *an* Scientia. 2. *Num ſit neceſſaria ad* Scientias *&* Artes *acquirendas.* 3. *Num* Apprehenſio *poſſit eſſe falſa.* 4. *Num opporteat Definientem eſſe Omniſcientem.* 5. *Num Scepſis ſit ſcientifica.* 6. *Num* Sylogiſmus *in* Barbara *ſit tam barbarus ac ille qui conſtat ex omnibus affirmantibus in Secunda figura.* 7. *Num omnis* Sylogiſmus *ſit* Sophiſma. 8. *Num verum ſit iſtud* Scepticorum: Hoc unum ſcio me nihil ſcire. 9. *Num Omnis* Spiritus *ſit* res cogitans. 10. *Num omnis ſit* Intelligens. 11. *Num omnis ſit* Penetrabilis. 12. *Num omnis* Spiritus Creatus *ſit* Extenſus. 13. *Num Bruta ſint αυτοματα & meræ* Materiales Machinæ, *cum* Carteſio. 14. *Num habeant Animas* Immateriales, *&* Immortales, *cum* Platoniſtis. 15. *An eorum Animæ ſint* particulæ animæ mundi. 16. *An ſunt* Immateriales *ſed non* Spirituales. 17. *An ſint meræ* Eſſentiales, Materiæ Modificationes. 18. *An non diſtinguantur à* temperie Humorum Cum Medicis. 19. *An ſint* formæ ſubſtantiales *cum* Peripateticis. 20. *An vero ſint* Particulæ Lucis *cum* Cabaliſtis. 21. *Num Anima humana poſſit eſſe* Immortalis *ſi eſſet* Materialis, *cum* Profeſſore Ultrajectino. 22. *Num ulla detur* Rarefactio *&* Condenſatio; *Et ſi detur, num fiat ut vult* Marſilius, *vel ut* Scot. *vel ut* Conimb. *vel ut* Ariaga, *vel ut* Carteſius, *vel ut* Democritus *& alij.* 23. *Num detur* Aeris Ελατηριον, *vel* Atmoſphæræ *hujus preſſura ut unanimiter clamant hodierni* Phœnomeniſtæ. 24. *Num juxta principia* Carteſij *poſſint tam facilè efformari reſtes arenareæ, quam Straminеæ vel linteæ.* 25. *Num Lactis, vini, Imo & ſanguinis imbres ſint tam naturales, quàm pluviæ ordinariæ.* 26. *Num Cometæ non magis ſint dira Mortalibus omina, quàm ericæ combuſtio.* 27. *Num* Locus *ſit* Superficies concava, *cum* Ariſt. 28. *Num conſiſtat in* Negationibus, *cum* Comptono. 29. *Num ſit* Inane quoddam *ſive* diaſtemma, *cum* Epicuro. 30. *Num ſit idem quod corpus, cum* Carteſ. 31. *Num ſit* Phantaſma, *cum* Hob. 32. *Num deniq; non diſtinguatur ab* Immenſitate Divina; *ut ex antiquioribus reſuſcitavit* Derodon. 33. *Num Centrum ſit ejuſdem quantitatis cum Circumferentia* 34. *Num deniq; hypotheſis* Peripatetica, Platonica, Epicuro-Gaſſendo-Charltoniana, Digbæana, Chymica, Fluddiana, Cabaliſtica *& vulgò* Moſaica *melius explicent* Nuturæ phœnomina; *Et an unum ab omnibus ritè explicetur. Hæc enim & ſimilia* Problemata, *quæ quotidiè in Sholis noſtris diſputantur; In diatriba publica jam ventilanda proponimus.*

Philoſophia docet ut ſequaris Deum, *feras caſum.* Sen. *Epiſt.* 16. *Quicquid vulgus cogitat vanum eſt, quicquid loquitur falſum eſt, quicquid improbat bonum eſt, quicquid approbat malum eſt, quicquid prædicat infame eſt, quicquid agit ſtultum eſt.* Petrarch.

EDINBURGI, Excudebat Hæres *Andreæ Anderſon*, Typographus Regius, *Anno DOM.* M. DC. LXXIX.